

1425 (Nat.), 7 février – Aversa.

Louis III, roi de Jérusalem et de Sicile, duc d'Anjou, etc., approuve et confirme la célébration de son mariage avec Isabelle, fille de Jean, duc de Bretagne, à laquelle il était représenté par Jean de Craon, chevalier, seigneur de la Suze, le 30 novembre 1424.

- A. Original sur parchemin, signé de la main de Louis III (*subscripsimusque manu nostra*), ainsi que par les secrétaires et notaires Jean Jean et Jean Baudusse, jadis scellé du grand sceau sur lacs de soie (deux *oculi*), endommagé (nombreux trous). Nantes, Archives départementales Loire-Atlantique, E 10, n°2 [original numérisé].
- B. Copie dans un cahier de papier, du XV^e siècle. Marseille, Archives Bouches-du-Rhône, B 1387, folios 18 *verso*-19 *recto* [copie numérisée].
- a. Dom Morice, *Mémoires pour servir de preuves à l'histoire ecclésiastique et civile de Bretagne*, 2, Paris, Imprimerie de Charles Osmont, 1744, p. 1169-1170 [ouvrage numérisé] (édition partielle, de *confidentesque ad plenum* à *et generaliter omnia alia*, avec la corroboration et la datation).

Ludovicus tercius, Dei gratia rex Jherusalem et Sicilie, dux [Andegavie^(a)], comitatuumque Provincie et Forcalquerii, Cenomanie ac Pedemontis comes, universis et singulis presentes litteras inspecturis, tam presentibus quam futuris, notum facimus per easdem quod iam pridem, videlicet die ultima mensis marcii, secunde [indictionis, anno^(b)] domini millesimi quadringentesimi vicesimi tercii¹, volentes et affectantes matrimonium inter nos, ab una parte, et [illustrissimam^(c)] dominam Ysabelem de Britania, filiam naturalem et legitimam [illustrissimi^(d)] (*lacuna*) patris nostri precarissimi [Johanis de^(e)] Britanie, *etc.*^(f), ex altera, iandiu perlocutum et tractatum, perfici et confirmari, illotunc grandium ponderibus [negocium^(g)] (*lacuna*), quominus ad partes regni Francie, pro prefati matrimonium confirmatione, personaliter poteramus accedere, vel (*lacuna*) transferre, eiusdem matrimonii complemento operam efficacem et possibilem adhibere cupientes, ac propterea decernentes que personaliter per nos adimpleri non poterant, fore personis fidedignis commitenda, confidentesque ad plenum de fide [circonspectione^(h)] et legalitate reverendi in Christo patris Hardoyne, episcopi Andegavensis, cancellarii, magnificorum et egregiorum virorum Johannis de Credonio, domini de Suza, Guidonis de Laval, consanguineorum, et Stefani Filiastri, iudicis ordinarii ducatus Andegavie et comitatus Cenomanie, consiliariorum et fidelium nostrorum dilectorum, ipsos, de certa nostra scientia, die, mense et anno predictis, fecimus, constituimus et ordinavimus procuratores nostros generales et nuntios speciales, ac eorum quemlibet in solidum, videlicet ad contrahendum, nomine nostro et pro nobis, sponsalia atque matrimonium per verba de presenti, cum dicta domina Ysabele, ipsamque nomine nostro in facie sancte matris ecclesie desponsandum, et in eam tanque uxorem nostram per eadem verba de presenti consentiendum, necnon

1. La date du 31 mars 1424 du style de la Nativité, donnée dans l'acte de nomination des procureurs du duc, donne le 31 mars 1423 dans le style de Pâques.

ad solemnizandum et solemnizari petendum etiam in facie ecclesie per benedictionem nuptialem matrimonii huiusmodi, et alias prout est in partibus Francie fieri solitum, tam de consuetudine quod de iure, prout fecissemus aut facere potuissemus si ad hec presentes personaliter extitissemus, promissiones et iuramenta quelibet ad hoc convenientia prestandum in animam nostram et faciendum, et generaliter omnia alia et singula circa premissa necessaria et opportuna gerendum, excitendum et adimplendum pro nobis et nomine nostro, que etiam in propria persona fecissemus aut facere potuissemus si eisdem interfuissemus in persona. Cum igitur huiusmodi procurationis, potestatis et mandati vigore, magnificus consanguineus et consiliarius nostre carissimus Johanes de Credonio, miles, dominus de Suza, predictus et in executione propositi et voluntatis nostre predictae, apud illustrissimum principem Johanem, ducem Britanie, patrem meum precaressimum predictum, se personaliter transtulerit de mense novembris ultime preterito, apud civitatem Venetensis, prefatamque dominam Ysabelem, tanque nostre procurator et nomine nostro desponsaverit in facie sancte matris ecclesie per verba de presenti, ipsamque in sponsalia et uxorem nostram legitimam receperit et acceptaverit, nosque et personam nostram sibi in virum seu maritum legitimum donare et prestiterit, et obligaverit, aliaque matrimonium ipsum presente veridica fidedignorum relatione, scriptisque et litteris serenissime domine et matris nostre, reverende domine Yolandis, dictorum regnorum regine, plurinumque meorum consiliariorum, qui premissis, per dictum magnificum militem sic actis, personaliter interfuerunt, didicimus publice notorie ac debite solemnizaverit ut est moris, ritu, more et solemnitatibus in talibus assuetis debite observatis, huic est quod nos, acta et gesta nomine nostro predicto, et pro parte nostra, per dictum dominum de Suza, pro complemento matrimonii huiusmodi in facie valida fore cupientes, prefatum contractum matrimonii, receptionemque dicte domine Ysabelis in sponsam et uxorem nostram prestationem, etiam donationem persone nostre in virum domine Ysabele prefate, solemnizationemque matrimonii, huiusmodi in facie ecclesie prefatas ut prefertur, de certa nostra sciencia, habita premitis deliberatione debita cum nostro nobis assistente consilio, ratum et ratas habentes, acceptantes et laudantes, illud et illa per presentes de novo ratificamus, approbamus et confirmamus, nostreque confirmationis munimine roboramus, promittentes in regio verbo, ac per fidem et iuramentum nostrum, propter hec ad sancta Dei evangelia prestitum, ac sub obligatione et ypothecatione bonorum nostrorum, mobilium et immobilium, presentium et futurorum, ubicunque sistantium, nos, dictum matrimonium ratum perpetuis temporibus habituros, et quod nunquam contra illud venientes directe vel per obliquum, per nos vel alios quomodocunque, nec unquam quicumque faciemus, dicemus aut procurabimus in ipsius matrimonii preiudicium vel iacturam, sed potius quod primum commode poterimus personam nostram ad partes regni Francie transferendo, dictum matrimonium personaliter confirmabimus et perficiemus, illudque inviolatum conservabimus divina gratia mediante. In quorum omnium fidem et testimonium, presentes nostras litteras fieri fecimus, subscripsimusque manu nostra, et nostro maiori sigillo communiri, quas etiam ad cautelam firmiorem subscribi fecimus per secretarios nostros et publicos notarios inferius nominatos, qui premissis ratificationi et approbationi, sic per nos ut premissis factis presentes interfuerunt una cum magnifico, egregiis et nobilibus viris Petro de Bellavalle, domino dicti loci, pimo cambellano, Heliono

de Glandeves, domino de Falcone, militibus, magistris Nicolao Perigaut, decano ecclesie Andegavensis, et Johane Bernardi, thesaurario ecclesie Turonensis, Anthonis Hermenterii, magistris hospicii, Anthonio de la *(lacuna)*⁽ⁱ⁾, Johanne Arelatano, scutiferis, et Arnando de Summo, nostris familiaribus, consiliariis et secretariis. Datum Averse, in domo Epali quam inhabitamus, die septima, mensis februarii, tercię indictionis, anno a Nativitate domini [millesimo quadringentesimo^(j)] quinto, regnorum nostrorum anno octavo.

Et ego, Johannes Baudusse, clericus Bituriensis, magister in artibus, Parisiis publicus *(lacuna)* auctoritatibus notarius constitutus, qui a ratificationi et approbationi premissis, aliisque [omnibus^(k)] *(lacuna)* declaratis per dominum serenissimum dominum nostrum regem, ut predescripta sunt, gestis atque factis, una cum prenominationis cambellanis, consiliariis, secretariis et scutiferis, ac subscripto collega meo, dum ita fierent et agerentur, personaliter interfui, hic mandato et iussu prefati serenissimi domini regis precedente, me subscripsi, signum quoque meum quo publica soleo instrumenta solidare apposui, in certitudinem et cautelam veritatis omnium premissorum. Et ego Johannes Johannis, clericus Constanciensis diocesis, magister in artibus, [apostolice^(l)] auctoritabus notarius, prefatique serenissimi domini nostri regis secretarius, qui a predictis ratificationi, approbationi, confirmationi, permissioni, aliisque in regiis apicibus supra contentis, dum ut inibi prescribuntur per eundem dominum nostrum regem in suo consilio agerentur, dicerentur et fierent, una cum prenominationis testibus ac prescripto notario publico, collega meo, presens interfui, ideo, de ipsius domini regis mandato, his suis litteris regiis in certitudinem firmiorem, roburque validuis, insertorum in eidem hic inferius manuali me subsignavi

(Signé :) Ludovicus rex. (Signum) J. B. Johannis.

^(a) Andegavie] *scripsi, lacuna A.*

^(b) indictionis, anno] *scripsi, lacuna A.*

^(c) illustrissimam] *scripsi, lacuna A.*

^(d) illustrissimi] *scripsi, lacuna A.*

^(e) Johans de] *scripsi, lacuna A.*

^(f) etc] *sic A.*

^(g) negocium] *scripsi, lacuna A.*

^(h) circumspectione] *scripsi, lacuna A.*

⁽ⁱ⁾ Anthonio de la Salle ?

^(j) millesimo quadringentesimo] *scripsi, lacuna A.*

^(k) omnibus] *scripsi, lacuna A.*

^(l) apostolice] *scripsi, lacuna A.*

Édition : Olivier Mattéoni et Jean-Damien Géro.

Ce document PDF a été compilé en juillet 2024 dans le cadre du programme de recherche public « Actes princiers au royaume de France (XIV^e-XVI^e siècle) », porté par le Laboratoire de médiévisique occidentale de Paris (UMR 8589 CNRS-Université Paris

1 Panthéon-Sorbonne) sous la direction scientifique d'Olivier Mattéoni, professeur des universités (Paris 1), et dont les partenaires sont le Laboratoire d'Excellence « Histoire et anthropologie des savoirs, des techniques et des croyances » (LabEx hastec), le Centre Jean Mabillon (EA 3634/ École nationale des chartes), le Centre de recherches historiques (UMR 8558/ CNRS-EHESS) et les Archives nationales de France. La transcription et l'appareil critique du présent acte sont mis à disposition sous [Licence Ouverte V 2.0](#).

Pour plus d'information, consultez le site Actes princiers (actesprinciers.huma-num.fr).